

Colligam hoc anno pro Te Tuoque horto facile omnium nostratum plantarum semina.

Laetor quod hac ipsa nocte viderim quatuor distincta semina e Tuis ultimis mihi enata, ut queam mihi polliceri ingentem thesaurum.

Vale et fave Tuo. Upsaliae d. 8. Junii 1760, hac ipsa nocte gelu constrinxit aquas glacie.

6.

Botanico egregio DD. Nic. Jacquinio s. pl. d. Car.  
Linnaeus Eques.

Iterum hodie Tuis, d. 17. Decembris datis amicissimis literis excitor, ad quas respondere, cum nullae mihi gratiores, volupe erit. *Tomus 3<sup>tius</sup> systematis* non prodiit, in quo conscribendo hoc tempore totus sum. *Comojondura* ideoque est Helicteres, a Te in praecedenti epistola missa. Sic habebimus hoc genus et fructu contorto, et recto, conjuncto et patente. mirum quod notes petalis hanc speciem carere.

*Hippocrateam* adeoque ex Tua doctrina in posterum Triandris inseram; quot stylis et stigmatibus gaudeat, oro me doceas.

*Breyrias* quod Capparidibus jungere velis laetor, ego certe limites non reperi.

Morisonam scribis gaudere calyce horizontaliter bivalvi; annon calyx perpendiculariter s. longitudinaliter bifidus, ut a Plumiero pingitur.

*Chondrilla* Plumieri adeoque *Pectis* species est, certe distincta ab utraque specie mea. Qualis sit margo foliorum tam singularis apud Plumierium?

*Petiveria* etiam mea gerit ad latus germinis corpus penicilliforme, ut pistilla difficillime eruantur.